



STATUS CAUSÆ

146.

EX Parte Generosorum Instigatorum & Vice-Instigatorum Regni & Magni Ducatus Lithvaniae Actorum agentium, tum Ipsorum Delatorum, Illustrissimi Principis Ernesti Joannis in Livonia Curlandiae ac Semigalliae Ducis, atque Generosorum Supremorum, Ducatum Curlandiae & Semigalliae Consiliariorum, Henrici Christiani ab Offenberg Landhoffmeisteri, Joannis Ernesti Klopmann Cancellarii, Francisci Georgii de Franck Oberburgrabii, & Ottonis Friderici Saff Landmarschalli, contra Generosos Henricum Benedictum de Brincken praetensum nuperrime illicitè celebrati Conventus Mareschallum, tum putativos Districtuum Curlandiae & Semigalliae ad eundem Conventum Deputatos, utpote, Henricum Leopoldum de Brucken nominatum Fock, Ottonem Joannem de Bistram, Ernestum Vilhelmum de Brüngen, Fridericum Vilhelmum Schöppink, Joannem Fridericum de Medem, Joannem Ernestum de Sacken, Fridericum Christophorum Hahn, Joannem Gerardum de Brincken, atq; Christianum Adamum de Brincken, nec non Generosos Ottonem Christophorum ab Hoven, quondam Landhoffmeisterum, Fridericum de Mirbach, quondam Capitaneum majorem Seelburgensem, Joannem Fridericum de Nolde, quondam Capitaneum Frauenburgensem, & Gerardum Dietericum de Vittinghoff,

N

ali-

aliosq; Complices, tum Generosos Ioannem Ernestum Schöppink, Vilhelmum Alexandrum de Heucking, Eberhardum, Christophorum Philippum de Hahn, Fridericum de Koschkull, quondam Capitaneos, Gotthardum Vilhelmum de Budberg, Fridericum Casimirum de Brücken nominatum Fock, Evaldum Fridericum de Fischer, Georgium Fridericum de Fircks, Christophorum Leuinum de Mannteüffel nominatum Szoega, Ernestum Nicolaum Kleist ac alios Citatos.

MERITUM.

Post extinctam Familiam Ketlerovianam in persona ultimi Ducis Ferdinandi, Congregati in Comitibus Pacificationis 1736. Anni Reipublicæ Ordines per Constitutionem provisionaliter statuerunt, ut cunctis utilioribus quàm in priori Vasallagio, conditionibus. iterato in novum Feudum alteri Familiæ Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ per Sa ram Majestatem Regiam conferrentur.

Statuta hæc effectum sortita sunt, per præmissam ad eum finem Commissionem Gedani sub data 12ma. Novembris 1737. terminatam.

Tum per collationem mediante Diplomate, & Solenni Investitura in Annô 1739. horum memoratorum Ducatum Illustriissimo Principi Ernesto Ioanni Comiti Imperii de Biron, illiusq; Feudalibus sexûs virilis.

Et

Et ad extremum completa fuere pacificâ Investiti
 possessione Iurisdictionis, Proventuum & universalis hu-
 jus utriusq; Ducatûs Dominii.

Licet verò temporale infortunium Personæ Princi-
 pis extra fines Ducatum perpeffum hæc omnia quodam-
 modo obumbravit, multotiesque iterata Serenissimi olim
 Augusti III. Regis cum Inclyto Senatu pro suo Vasallo
 interposita studia effectu suo caruerunt;

Evenit tamen, quod Anno 1763. cum solatio fide-
 lium sibi Ordinum, ad legalem & pristinam priorum
 Ducatum redierit possessionem.

In quorum primo accessu, convocavit præviis uni-
 versalibus Equestrem Ordinem, & Conventum Provinci-
 alem indixit.

In quo curæ habuit, hæc omnia cum congregata
 Nobilitate decernere, quidquid tantum Gentis governa-
 tionis, securitati & manutentioni Iurium, Civiumque
 tranquillitati censuit expedire.

*Vide Conclusum Conferentiale ex Conventu generali
 publico Nro 1. pag. 1.*

*Laudum de die 19. Julii 1763. Nro. 2. pag. 5.
 ibidem.*

In altero Conventu de tempore Interregni celebra-
 to, quò sufficientius Ordines Republicæ de regimine ho-
 rum Ducatum informarentur, cum Genoroso Equestri
 Ordine designavit pro imminentibus Convocationis, Ele-

tionis, & Coronationis Comitibus Nuntium, Generosum Ottonem Ernestum à Medem Regiæ Majestatis Camera-rium, & Ordinis S. Annæ Equitem.

Vide Laudum Electionis & Deputationis Nuntii
Die 21. Februarii 1764. Nro 3. pag. 9.

Instructionem illi datam Nro 4. pag. 15.

Alteram additionalem Nro 5. pag. 29.

Laudum publicum die 25. Augusti 1764. Nro 6.
pag. 23.

Cum Ordo Equestris desideravit, ut post subsecutam felicem Electionem Regis conventus publicus alius indiceretur, ideo juxta superius allegatum Laudum de die 25. Augusti 1764. huic Conventui dies 12. Novembris pro termino præfixus fuit.

In hoc ipso Conventu Nobilitas (prioribus jam compositis) aliqua adhuc proposuit gravamina ad duodecem articulos reducta.

Quorum singula quamvis sine mora Illustrissimus Dux resolvisset, postulabant nihilominus Deputati, ut de his resolutionibus Fratres in districtibus benè informare possent. Quapropter ad eorum vota in hac unica materia Conventus ad 5tam. Martii 1765. est limitatus.

Vide gravamina ex parte Nobilitatis Nro 7. pag.
27.

Responsio ad eadem Ducis. Nro 8. pag. 32.

Ad eandem Responsio Nobilitatis Nro 9. pag. 38.

Decla-

Declaratio ulterior Ducis. pag. 42. Nro 10.

Postulatum Nobilitatis pag. 48. Nro 11. §. *Quod cum in priori.*

Actus Limitationis ad 5tam. Martii 1765. Nro 12. pag. 51.

Stante ejusmodi Limitatione feliciter conclusa memorata Comitia. Quorum placitis totum Jus Fendale Illustrissimi Ducis Ernesti Joannis reintegratum, & simul cum capta Ducatum possessione confirmatum, Dispositiones contrariæ Senatus Consultorum, ex illisque profecti Actus sublati, Incolis Ducatum Curlandiæ, ut solidato Authoritate Reipublicæ Duci ipsiusque superiori Jurisdictioni pareant, & nedum homagiales homagium indilate præstent, sub rigore in transgredientes legem lato, demandatum.

Verùm Constituta hæc supremæ Potestatis non permoverunt Contradicentes non homagiales, quinimò ut eo magis ipsorum executioni possent se opponere, & pacem internam inter Confratres turbare, prætextu acceptationis Statutorum Reipublicæ quò ad personam sui Ducis, & citius comparandæ tranquillitatis in Provincia, comparuerunt in Conventibus Minoribus Districtuum, in quibus antea non fuerunt, tantumque fidei apud Nobilitatem pacem desiderantem reppererunt, ut ex pluribus Districtibus pro illo ex limitatione die 5ta Martii adveniendi Conventu publico deputarentur.

Congregati pro termino inchoandorum Consilio-
rum, statim in ipso illorum initio quamvis non homagi-
ales, ac ideo secundum propria jura, scilicet Laudum
1645. non Activi, tantum valuerunt, ut penes illos in e-
liendo pro Marechalco Conventûs Generoso Brincken
æquè non homagiali, Pluralitas steterit.

Hic in primo muneris sui exordio, ut jam crescentem
inter Fratres pacem disturbaret, & congregatam Nobili-
tatem ad inobedientiam novissimis Reipublicæ Statutis, at-
que vilipendium sui Ducis induceret, tam vivâ expressio-
ne est locutus.

” Quam magni momenti objecta præsentium deli-
” berationum nostrarum sint? Dominationes Vestræ pro
” omnibus iis, quæ hactenus in præjudicium Statûs Nostri
” constitutionis acciderunt, Ipsi disjudicare valebunt.
” Nullum eventum singularem allegare volo, cûm Vobis
” ceu dignis totius Corporis Statûs Nostri membris, suffi-
” ciens de omnibus convictio deesse haud potest. Suffi-
” cit prærogativas nostras à Majoribus nostris ad cinerem
” usque devenerandis, inæstimabilem valorem nactas, læ-
” sas Leges è contrario fundamentales & cardinales, pe-
” nitus conquassatas esse. Quid Nobis sub tristis hisce Pa-
” triæ circumstantiis restat, quàm ut communibus, conjun-
” ctisque viribus, de conservatione dolenter læsæ salutis
” Nostræ laboremus, atq; concordia, amore, fiduciaque,
” vera eligamus media Nos liberandi, Posterosque No-
” stros

”stros innocentes eripiendi minantibus catenis æterni ser-
 ”vitii. Non itaque tempus hoc prætermitemus inten-
 ”tationem illam prosequendi, quæ à Diæcesium Nostra-
 ”rum Fratribus quàm optimè commendata est, omniaq̃
 ”ea solida attentione consideremus, quæ Patriæ, libertati
 ”nostræ, honori, conscientiæ, Nobisque ipsis debemus.

Hanc Orationem Renitentium Non-homagialium
 resolutio excepit. ut relationem Generosorum Mirbach &
 Hoven ex privatis Conventiculis missorum admitterent.

Subsecuta est indecens nunquam antea practicata
 quasi præstatio Curialium erga Ducem ab Ordinibus Rei-
 publicæ agnitum.

Vialibus induti vestibus, ocreati & cum manicis vil-
 losis in Palatium se contulerunt, & ingressi ad Ducem,
 eorum Mareschalcus Orationem peroravit, in qua nulla
 mentio facta Personæ Ducis Illustrissimi.

*Vide Laudum 1645. Nro 13. pag. 53. Extractum
 ex Diario Conventus sub 5. Martii Nro 14. pag. 55.*

*Oratio Generosi Brincken in Palatio coram Duce ha-
 bita pag. 59. Nro 15.*

*Extractum ex Diario recepto GG. Hoven & Mir-
 bach relationis in Conventu. Nro 16. pag. 63.*

Videns Illustrissimus Dux confundi progressum isti-
 us Conventus per Non-homagiales, quodque non ab ea
 materia, propter quam ad quintam Martii fuit limitatus,
 inhoaretur, misit per Generosos Consiliarios quæsitum: In

quo

quo caractere Generosi de Hoyen & de Mirbach relationem fecerint? quid in se contineat? & utrum inferetur Diario Conventus?

Sed hoc quæsitum cum contemptu Ducalis Autoritatis receperunt, responderuntque Ordinem Equestrem non teneri ulli rationem reddere gestorum suorum in Conventibus.

Ad extremum Relationem Generosi à Medem Nuntii non admiserunt.

Vide pag. 64. Nro 17. §: Quæstiones

Nro 18. pag. 66. §. Dominus Mareschalcus

In hoc Anarchico æstu renuntiatae obedientiæ tam Legi supremæ Potestatis, quàm & Illustrissimo Duci, facile & alia commissa attentata.

Veluti. Quod Generosus ab Heiking Sententiâ Confederationis Generalis pro Protestatione contra Acta Ordinum Republicæ illicitè facta damnatus & punitus, aduersus hanc Sententiam in justificatione sua audiebatur.

Quod Commissio Gedanensis 1737. quam Respublica in Comitiiis Convocationis inter Acta illius inferi mandavit, & quam Comitia Coronationis cum clausula, quatenus juribus Nobilitatis non præjudicet, confirmarunt, simul cum latis Constitutionibus Convocationis & Coronationis Jura ad Feudum Illustrissimi Ducis Ernesti Joannis solidantibus, impugnabatur.

Et

Et hæc cuncta in corpore prætenforum gravaminum congerendo, Generosis Consiliariis in scripto tradiderunt cum assecuratione non præstandi eousque homagii, quousque Illustrissimus Dux convenienter ad obloquentiam illorum se non declaraverit.

Sed universus horum contextus clarè detexit spiritum Non-homagialium Renitentium, ea, quæ Respublica respectu Ducatum Curlandiæ & Semigalliæ, atque Jurium ad illos Duci servientium disposuit, & per Comitia definivit, non acceptantium.

Vide Corpus exhibitorum novorum gravaminum.

Nro 19. pag. 67.

Adhortatio Consiliariorum. §. Cum nudius tertius.

Nro 20. pag. 77.

Declaratio Ducis. pag. 78. §. Posteaquam.

Questiones propositæ Generosis Consiliariis. pag. 81.

Nro 22.

Responsio Consiliariorum. Nro 23. pag. 82.

Post has Declarationes Ducis & Consiliariorum Generosus de Brincken cum prætensis Deputatis privata suâ Authoritate limitarunt Conventum ad diem 26. Apris:

Vide Orationem ipsius in pag. 147. Sub Litt: BB.

Igitur rem æquissimam judicavit Illustrissimus Dux, adversus ejusmodi illegalia pacem internam turbantia, Circulares transmittere ad Districtus, præmonendo eos de illegalibus attentatis, & adhortando, ne pro illa limitatione convenirent.

Ast & Generosus Brincken (vindicantis sibi propriam dominantis Ducis Authoritatem) suas quoque Contrarias dedit Circulares, ut illius Limitationi & non Circularibus Ducis obediatur.

Vide Circulares hortatorias Ducis. Nro 24. pag. 83.

Circulares Generosi Brincken. Nro 25. pag. 87.

In contemptum Circularium Illustrissimi Ducis, & præmissarum declarationum: quod congressum hunc metas Legum transcendentem, nec illam privatam Limitationem unquam acceptare posset, & acceptet.

Generosus de Brincken cum illi adhaerentibus pro termino, die scilicet 26. Aprilis advenit, & Oratione habita de intolerabili pondere moderni regiminis, de periculis in quibus Patria versatur, & de obligatione omnium Patriam amantium nexa vincula infensæ servitutis rumpendi, putativum inchoavit congressum.

Quò ipsò tempore Illustrissimus Dux per Generosos Consiliarios mandavit insinuari ad Conventum Congregatis Rescriptum Monitoriale sub data 29. Martii 1765. Anni expeditum, atq; Literas Serenissimi Regis de data 22. Aprilis ad se directas, pro jure suo mandando, ut à conatibus tranquillitatem turbantibus, & ulteriori continuatione Congressus putativi desisterent.

Sed 29. Aprilis congregati cum suo Directore Renitentes, non solum hanc insinuationem declaratæ in Rescripto & Literis Majestatis Regiæ voluntatis iniquè susceperunt

runt, verum mox die 30. ejusdem sub directorio Generosi de Brincken concluderunt ad citationes Illustrissimi Ducis & Consiliariorum ad Judicia Relationum.

De hoc Rescripto & Litteris Regis, Illustrissimus Dux per Circulares universæ Nobilitati in Districtibus notitiam dedit.

Vide Orationem Generosi Brincken pag. 149. sub Litt: CC.

Rescriptum Regium. Nro 26. pag. 97.

Litteræ Serenissimi Regis ad Ducem. Nro 27. pag. 99.

Nota data à Duce ad Congressum circa communicationem Rescripti ac Litterarum Regiarum Nro 28. pag. 103.

Actum Conventûs ex Diario circa receptionem Rescripti ac Litterarum. Nro 29. pag. 104.

Circulares Ducis: Nro 30. pag. 105.

Postquam tã Illustrissimo Duci, quã Consiliaris Citationes insinuarunt idque criminaliter ad judicia relationum, & in his Citationibus ignominiosè & læsivè personam, honorem sui Ducis sub usurpato sibi in titulum Actus ratus vocabulo, totius Equestris Ordinis traduxerunt, tunc Congressum hunc præexpressum illegalem Laudo publico putativo terminarunt.

In quo Laudo publico actus absque concurrentia Principis planè inadmissibiles exercuerunt. Illustrissimum Ducem graviter in nouo illius paragrapho traduxerunt, & pacta primariæ subjectionis de die 28. Novembris 1561.

convulserunt, dum rejectis illis, privilegia, in communi Nobilitati Livoniæ Feria Sexta post Festum Sanctæ Catharinæ concessa pro pactis subiectionis venditarunt, & tandem sub die 6ta Maii 1765. illum illicitum conventum ad 12. Septembris limiterunt.

Vide Laudum hocce. Nro 31. pag. 107. Item Citationem Illustrissimo Duci editam. Orationem Generosi Brincken pag. 152. sub Litt: DD.

Quorum omnium intuitu ad Instantiam GG. Instigatorum Regni & M. D. Litt. ex delatione Illustrissimi Ducis Curlandiæ, hi Generosi conspirantes & contradicentes Non-homagiales specificè ad Judicia S. R. Mtt: modernæ cadentiæ sunt Conventi.

Vide Citationem ex instantia Generosorum Instigatorum Regni & M. D. Litt. ex Delatione Illustrissimi Ducis & Generosorum Consiliariorum Agentium Actorum Nro 32. pag. 121.

HIC TERMINUS.

Conclusio.

Supplicans Generosi Instigatores Regni, & M. D. Litt: pro munere suo, ac ex Delatione Illustrissimi Ducis Curlandiæ & Semigalliæ, tum Generosorum Consiliariorum

orum horum Ducatum agentes Actores: Decidendo Citationem suam in Executione Constitutionum Comitiorum Convocationis 1764. *titt.* Ducatus Curlandiæ, & Coronationis Anni ejusdem, *titt.* Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, Investituræ Illustrissimo Duci collatæ, ut & Pactorum Subjectionis de die 28. Novembris 1561. & mandati S. R. Mttis in Ianuario Anni 1765. ad supremos Consiliarios majores & minores Capitaneos, totumq; Equestrem Ordinem cæterosq; Incolas memoratorum Ducatum virtute supra scriptarum Constitutionum Paëtis Conventis adstipularum expediti, editam, Citatos particulares horum Ducatum Nobiles in Citatione nominatos, & reliquos eis adhærentes, nec non cæteros nonhomagiales in porrecta consignatione nominatos, tanquam præallegatis Constitutionibus, mandatisq; S. R. Mttis temerè non obtemperantes, & sub nomine totius Equestris Ordinis supremo directoque Reipublicæ in dictos Ducatûs Dominio rebelles ac resistentes, scissionum ad perturbandum tranquillum statum contra Illustrissimum Ernestum Ioannem Curlandiæ & Semigalliæ suum Territorialem Ducem, autoritate Reipublicæ Infeudatum & Investitum principales motores, honoris & Personæ, Jurisdictionisque illius Ducalis per publica & privata scripta Traductores & Cavillatores pro qualitate uniuscujuscunque facti, pænis personalibus & crumenalibus exemplariter affici, & ad indilatè suo Illustrissimo Duci

Infeudato homagium tam à nominatis, quam aliis quibusvis non nominatis non homagialibus præstancum etiam sub severioribus seorsivis pænis criminalibus & confiscatione bonorum in termino ab Illustrissimo Duce designando, compelli, Actus quosvis à die 5. Martii Anni 1765. ipsorum Pseudo Conventiculi illegalis cum Diariis, Laudis, sancitis, limitationibus, & ipsis Citationibus Illustrissimo Duci ac Ejus Generosis Consiliariis ad Iudicia S. R. Mtis propriarum Relationum extraditis, tanquam illegales, vitiosos, circumscriptivos, contumeliosos, arrogantisque ac in Authoritatem sancitorum Reipublicæ Illustrissimique Ducis sui Territorialis conspirantes circumscribi, cassari & annihilari. Et quatenus abhinc suo Illustrissimo Duci, Ejusque Illustrissimo futuro Successori Petro legitimè ac legaliter infeudatis, Illorumque Iurisdictioni Territoriali in omnibus obediant, ac submissè obtemperent, eosque pro veris, legitimis ac indubitatis Ducibus Curlandiæ & Semigalliæ, nec non Reipublicæ Vassallis, in omnibus semper recognoscant, illisque debitam reverentiam exhibeant, seridò, & sub gravissimis pænis demandari. Intuitu vero Gravaminum per Generosum Equestrem Ordinem Illustrissimo Duci Anno 1764. in articulis duodecem pro residuo suo postulato comprehensorum & exhibitorum; ac ad ipsa Responsi Ducalis super eæ etiam deliberatio Nobilitati ad limitationem eisdem Conventûs in quintam Martii 1765. Concluso publico

blico fuit concessa, illorum definitionem remitti, & qua-
 tenus componi non possent, S. R. Mtis dec sioni reservari.
 Insuper Generosos Ioannem Fridericum de Nolde, quon-
 dam Capitaneum Frauenburgensem, Fridericum Vilhel-
 mum de Schöppink Gerardum Dietericum de Vitting-
 hoff pro Ipsorum privatis factis & scripturis contra Illu-
 strissimi Ducis honorem injuriosissimis, seorsivis pænis
 exemplaribus mulctari, scripta eadem, tanquam infan-
 tiam, in foro publico Mitaviæ per Lictorem lacerari, &
 comburi decerni, ac ne familia in posterum spargere &
 publicare audeant, illos sub pænis criminalibus præmo-
 neri, ac in damnis, litisque expensis refundendis supra
 recensitos Citatos condemnari.